Gedani pax ecclesiastica et politica causa d. Strauchii valde quassatur, pagellas viri typis commendatas etiam hic legimus. Quid praeterea moliatur et ubi lucem visura sit primum eius responsio, non constat. Vereor, ne inopinata mala hominem opprimant, ubi Polonis novus rex dominari incipiet. Quibus eum eripiat auxiliator in opportunitatibus. Is rationem etiam habeat miserrimorum exulum Hungaricorum, quorum unus e primis, plur. rev. dn. m. Lifmannus³⁾, hoc pomeridiano mecum pluribus contulit et fata sua aliorumque confratrum prolixè exposuit indicans dn. m. Seelmannum⁴⁾ in procinctu quoque fuisse, sed postea

¹⁾ Andreas Afoluth, später Archidiacon an St. Bernhardin. Vergl. Ehrhardt I, S. 400.

²⁾ Johann Frimel, der Jüngere. Vergl. Ehrhardt I, S. 385.

³⁾ Über Tiefmann, später Pastor in Birnbaum, dann in Baugen, vergl. Ehrhardt IV, S. 291 ff.

⁴⁾ Christian Seelmann, geb. 1626 in Vauter, 1650 Rektor in Edinburg, 1661 Pastor in Kemnitz, 1665 in Rentschau, mußte 1674 gleichfalls aus Ungarn flüchten. Er kam nach Wittenberg und erhielt hier einen Ruf als Hauptpastor nach Groß Salza, gest. 1. September 1675.

mandato episcopi cum dn. collegis detentum propter civium motum nescio quem. Liberet eum ex manibus istis dominus. Tandem sicut gratiarum actione orsus sum istas literas, ita quoque concludam easdem, quod ad petitionem meam attendere, dn. Gotschalkium in aedes recipere et filio quoque meo Andreae post menses tres circiter hinc abituro locum concedere in illis voluerit M. V., quam sedulo oro, ut homini favere, intimiorem accessum permittere et bibliothecae usum concedere ne renuat. Praestabimus gratitudinem pro tantis beneficiis debitam. Et cum V. M. nullos iam convictores alat, alioquin et filium meum numero eorum insertura, grata mente agnosco commendationem a V. M. ad exc. dn. d. Pomarium¹⁾ causa eius factam. Sequar consilium M. V. et petam, ut mensae illi adiungatur. Jam deum devotis precibus invoco, ut V. M. climactericum magnum ingressuram pancratice roborare et aetati huic plures adhuc annos adicere clementer velit, et ut laboribus tum annotatorum Antigrotianorum²⁾, tum systematis³⁾ tum aliarum occupationum abundantissime benedicat. Amen Pax etiam domui vestrae. Dab. Vratislaviae d. 4. Maii st. n. 1674.⁴⁾

¹⁾ Samuel Pomarius, geb. am 20. April 1624 in Winzig, 1653 Pastor in Beshine, dann Diaconus in Köln a. d. Spree und in Magdeburg, 1668 Rektor in Speries, starb als Pastor und Superintendent in Lübeck am 2. März 1683.

²⁾ Die „Annotata Antigrotiana“ eine Sammlung von Disputationen, die unter Kalows Vorstz gehalten wurden, erschienen seit den fünfziger Jahren.

³⁾ Kalows „Systema locorum theologicorum“ erschien in den Jahren 1655–1677.

⁴⁾ In einem Schreiben vom 4. Oktober 1674 beglückwünscht Kalow, daß Gott ihn so gesegnet habe, „ut inter sescentas alias occupationes operi etiam Anti-Grotiano in N. T. ultimam admoverit manum, sicut fama refert“, und empfiehlt ihm seinen nach Wittenberg reisenden Sohn. „Nostrae ecclesiae in pristino versantur statu, nisi quod in ducatu Olsnensi pontificii novas denuo cient turbas et quaedam templa occupare moliantur. Hungari exules apud nos commorantes spem redditus conceperunt. Faxit deus, ne sit ruinoso tibiae fulta.“

10. **Johann Afoluth an Kalow.**

Hoc novo anno M. V. novas animi et corporis vires, occupationes auspicatissimas, domesticorum etiam, praepremis dulcissimae coniugis et dn. filii, constans robur precatus recorder beneficiorum aegro nuper Andreae meo exhibitorum, quem non tantum visitatione sua honorare, verum etiam decumbentis stomachum delicatiore ferculo recreare placuit, ut nihil dicam de consilio suggesto. Magnas vobis, o sanctae animae, gratias habeo coeleste numen adorans, ut vobis cumulatissima benedictione beneficentiam istam refundere dignetur. Plur. rev. dn. m. Lifmannum,¹⁾ fratrem mihi longe dilectissimum, eruditione, pietate et magnis in ecclesiam meritis maxime conspicuum, nunc exulem Christi, qui academiam vestram et suam visitare gestiens συστατικῶς a me petiit, quibus tantus vir opus non habet. Commendat virum virtus. Maiorem tamen in modum oro, ut afflictissimi servi Christi M. V., quod alias facit, rationem habere eumque consolatione et auxilio nec non consilio recreare velit . . . Vratislaviae a. 1675 d. 2. Januarii.

11. **Johann Afoluth an Kalow.**

Literas V. M. a viro plur. rev. dn. m. Lifmanno reduce accepi nec non notarum Anti-Grotianarum in V. T. exemplaria novem, quae dnis. confratribus tradita sunt. Illi M. V. pro hoc labore et exemplaribus istis gratias debitas habent devote precantes: O sint virtutis tempora longa tuae, quo alteram aurei huius scripti partem non affectam

¹⁾ Auf Empfehlung Kalows berief Christoph von Unruh am 23. Dezember 1676 Tiefmann als Pastor nach Birnbaum. Lübeck, den 21. Juli 1675 schrieb Pomarius an Kalow: „Retulere mihi ante binas septimanas exules tres Hungarici Hamburgo ad nos eleemosynae conferendae causa delati dn. Jaskaliczki, dn. Rudinsky et dn. Dördelius abhinc in Sueciam profecti, sed ab intempestuoso mari ad nos reiecti sese ibi percepisse dn. d. Seelmanni honorificam mentionem fuisse iniustam (?). Interim etiam vobis dn. M. Liefmannum denuo opimiana de nota commendo, aut nisi queat ipsi de statione aliqua fixa in Germaniā prospici, spe subinde firma erigor fore, ut brevi in Hungariam ceu superintendens revocatus post se trahat ministros exules reliquos.“

tantum, verum etiam pene confectam pari felicitate absolute et cum ecclesia dei ad eius emolumentum communicare possit! Pecuniam pro istis exemplaribus 54 imperiales numerabit nobilis dn. Heberus exhibita hac schedula inclusa. Forte an plura adhuc a nonnullis exemplaria desiderabuntur, ita enim spero, utrum ea praesto sint et eodem pretio acquiri possint, doceri cupio et peto. Noster dn. M. Liefmannus post deum unice spem ponit in V. M., cuius paternum plane affectum et depraedicat et a me ex literis M. V. cognovit. Deus abeuntem Jacobiticis illis¹⁾ stipet et cum familia salvum atque incolumem ad vos perducatur, consilium etiam V. M. secundet, ut pientissimo viro fiat auxiliū in hoc exilio. Si mihi secunda vice exulandum fuerit, quod singulis momentis aperte nobis minantur pontificii, ad vos quoque abire constitui et me commendare patrocinio vestro, quos ut patres, dum vivam, veneror. Nolite interim oblivisci filii vestri, o patres. An filius meus talem se in aedibus V. M. praestiterit, qualem debet, ignoro. Spero tamen eum monitis meis locum relicturum. Eum M. V. denuo sedulo commendo, praesertim cum magno hominis malo exc. dn. d. Pomarius, cuius inspectione gavisus est, abierit. Moderetur, quaeso, M. V. eius studia, ut recte et feliciter progrediatur. Valeat M. V. cum familia dilectissima a me et domesticis perhumaniter salutata. Dab. Wratislaviae a. 1675 d. 13 Martii st. n.

12. Johann Afoluth an Ralow.

Responsorias V. M. accepi, ad quas sequentia repono. Ut cum dn. Wustio feliciter litem intentatam componat, ex animo precor. Et nisi gratum se praebuerit ipse, maculam sibimet ingratissimi hominis inuret. Non dubito eum maius ex hoc apere in temporalibus commodum ipsa M. V. esse reportaturum. Et iam fidem etiam literis datam liberare detrectat. In nostris certe instantibus nundinis, ad quas

¹⁾ Hier steht ein unleserliches hebräisches Wort.

etiam ex aliis locis bibliopolae advolare solent, illi adventantes non dubitant affirmare M. V. nulla accepturam esse exemplaria a Wustio, sed pecuniam restitutum iri. Aiunt sibi constare de mente Wustii. An ea tantum fini ista dicant, ut emptionem aliquibus persuadeant, quod existimo, an vero certa et explorata referant, non affirmo. Deo gratias et Christo laudes, qui cor sereniss. electoris inclinavit ad laborem hunc divinum dono principe tanto digno compensandum, quin et statuum provincialium theologum tantopere ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ κοπιῶντα διπλῆς τιμῆς ἀξιουμένων.¹⁾ Longe tamen maiora praemia V. M. et in ecclesia militante et in coelis pro hoc labore manent, praesertim quia hic maiora adhuc accedunt, videlicet opera elenchtica lucem brevi visura nec opera tantum elenchtica, sed et systematis reliqua, quae adhuc desiderantur. Jstis aequae adsit benedictio divina atque illi scripto. Nos omnia, dum vixerimus, exosculabimur. Confratres et collegae mei demisse M. V. salutantes expectant exitum negotii cum Wustio. Qui si exemplaria promissa miserit, suppeditabit ansam in numerum illorum inquirendi, qui operis desiderio tenentur, pervestigatum etiam M. V. indicandi. Fellgibelius noster, cum quo hesterno promeridiano de systemate sermones miscui, rem ulteriori deliberationi committit. Nescio, an tam magni operis sumptus ille tolerare possit. Nihil tam arduum hactenus in se suscepit. Ubi accepero ab homine responsum, reddam. Bonum profecto factum, quod sereniss. elector Saxoniae iubeum Torgae celebravit, cuius acta filius meus natu maximus, qui interfuit, et dn. Michaelides meus narrarunt. Vigeat concordia in ecclesia militante, usque ad triumphantis pacem ipsa tota transferetur. Panes bis coctos mitto, sed vix ac ne vix quidem Fuchsianis aequandos. Dna Fuchsia rebus humanis exemta, si super vixisset, melius consilium suggessisset. Valde me habet male, quod ipse adspectus subniger gratiam cibo adimit pistore nimium aromatum purissimo farri inter-

¹⁾ Salow hatte von der sächsischen Ritterschaft und den Städten 1000 Gulden Verehrung erhalten.

miscente. Levidense hoc munusculum benigne M. V. interpretetur. Instructissimam Danorum et Belgarum classem cladem a Suecica gravissimam passam iterata fama confirmat. Nos triste nuntium de intestino Polonorum bello accepimus, cuius veritatem vel falsitatem sequens docebit dies. Jam deo M. V. devote commendo. Dab Vratislaviae a. 1676 d. 3. Julii.

De scripto M. Lanii¹⁾ nuper admodum Lipsiae publicato, domini exules nostrates gravissime conqueruntur propter falsa plurima illi inserta. Deus obturet os illis, qui afflictis impie aut imprudenter saltem afflictionem addunt.

13. Johann Afoluth an Ralow.

Literas M. V. tardius nonnihil accepi. Bone deus, quae et quanta bona et dona coelitus in M. V. collata sunt! Quantum in academiis, quantum in cathedra homiletica voce viva, quantum etiam scriptis laboratum est! Systema²⁾ subcisivo labore (memini enim ante octennium partem tomi quinti mihi ostensam) absolutum, non trita incedens orbita, eoque difficilius et utilius, biblia glossata etiam absoluta. Et vix post opus grande Grotianum ista ad colophonem sunt perducta, non defatigata his laboribus senectus novum aggredi laborem gestit notarum ad b. Lutheri versionem textualem e solis locis parallelis hauriendarum. Deo gratias, Christo laudes. Mutuet nobis ecclesia Hipponensis antiqua

¹⁾ Georg Vani aus Ungarn studierte in Wittenberg und wurde hier Magister. Später war er Rektor in seiner Heimat und wurde um seines Glaubens willen zur Galeere verurteilt. Doch gelang ihm die Flucht. In Leipzig ließ er verschiedene Bücher drucken.

²⁾ „Esse unus bibliotheca potes“, schrieb der Senior Badius aus Magdeburg am 13. November 1677. „Quod ad exemplaria vendenda facit, collocutus heri sum cum accersito ad me bibliopola nostro Ludervaldo. Optat ille videre ante systematis pariter vindicatae harmoniae Calixtinohaereticae exemplar unum, quam suo commodo aliquid istorum emat. Velim proinde ad me proxime tomi systematis octo postremi, cum priores quatuor dudum possideam, una cum uno vindicatae harmoniae exemplo mittantur, et e vestigio tradam exhibitori duos cum dimidio ioachimicos ac grossos quatuor curaboque, ut compingantur mature libri, quo legere illos et contemplari bibliopola pariter et collegae mei aliique ex eruditis queant. Sic fore spero, ut non pauca deinceps exemplaria divendantur.“

verba pietatis suae: Exaudi, Christe, Calovio vitam. Te patrem, te episcopum. Iudicio et laboribus tuis gratias agimus. Non moriturus est fragrantissimae famae huius odor gratissimus in ecclesia dei. Sed in stadio sunt coronae. Nemo moveatur M. V. tergiversatione falsorum fratrum vulpina nec sinistris iudiciis eorum, qui negotium vel non recte intelligunt vel non aestimant. Meminerit M. V., quod fungatur munere theologi polemici, cui certe profecto pugnandum est contra hostes et multos et magnos cominus et eminus. Nostrum ministerium per dei gratiam orthodoxum est et ex asse M. V. astipulatur. Non est tamen locus in orbe, ubi diabolus et filii eius non habitent, qui piis mille aerumnas pariunt. Ferendum est equidem hoc malum, quod mutari nequit. Exules nostri Hungarici, ex quorum patria insignium motuum fama ad nos advolat, Tubinga reduces prolixè narrant, quantopere pio seni dn. d. Wagnero adversetur d. Osiander,¹⁾ adeo ut lacrimas merittissimo theologo saepe numero eliciat. Is idem non Hosiander sed Ossiander miseras exulum animas non parum et duro sermone et sorditie sua contristavit. Nec aliis nec mihi flagella desunt. Donet deus suis patientiam et concedat victoriam. Praeterea V. M. servet et augeat dominus ruach ezah ugeburah, ut intrepide bella domini continuet et hostes orthodoxiae feliciter det in ruborem. Opus parallelorum ego multum et diu desideravi, non enim dexterior modus est scripturam interpretandi quam per scripturam. Ego in hoc labore multum temporis contrivi, qui ad margines bibliorum multa milia locorum assignavi. Non levis etiam labor in bibliis Belgicis, sed maior in Anglicis, utrisque glossatis apparet. Ubi tamen accurato iudicio propter Calvinismum interpolatum opus est. Dominus sufficiat vires tanto operi necessarias. Ceterum M. V. theologi assignati filiali salute impertiunt petentes illos, qui nominati sunt, tomos. Curandum est, ne Bunzlaviae, qui ad publicum destinati sunt, promotioni librorum

¹⁾ Johann Adam Osiander seit 1660 Professor der Theologie in Tübingen, 1680 Kanzler der Universität.

remoram inciant, quod mihi aliquando contigisse recorder. Pecuniam grati quamprimum mittemus. Nam et ego, quantumvis affectum M. V. exosculor, nolo tamen, ut mea causa in tam gravibus impensis detrimentum aliquid subnascatur. Dn. d. Weberus,¹⁾ principi Olsnensi a concionibus et confessionarius, clausam sibi deflet cathedram. Claudio epistolam hoc voto:

Sit canis vestris levis et iucunda senectus

Dab. Vratislaviae d. 5. Novembris a. 1677.

Tomi isti systematis per aurigam vestratem poterunt advehi, quos in diversorio suo servare poterit, dum a singulis his theologis repetantur, quod mox fiet, cum adventum aurigae intellexero.

14 **Johann Koluth an Kalow.**

Literas et libros expetitos recte accepi. Utroque nomine cum dn. collegis M. V. humiliter salutantibus debitas persolvimus gratias. Sit etiam in hoc sanctissimo labore benedicta sacrosancta trinitas. Et ego, minimus Christi servulus, cum dn. collegis meis M. V. venerandum nomen, dum vixerimus, ob labores tam feliciter et coeptos et absolutos celebrare non desinemus. Scilicet non Wittebergae tantum nec hoc dumtaxat tempore, sed in tota ecclesia evangelica etiam apud posteros, si qui sunt futuri, doces, o praeco iustitiae, et docturus es. Extulit te bonitas divina, et nos ad pedes tuos repimus. Videant, precamur, porro lucem biblia glossata iam confecta et numerata seu parallelisata affecta. Plur. rev. dn. Herdenii²⁾, senioris templi nostri Elisabethani, coniunx³⁾ lectissima suos in patria visitatura numerabit 45 imperiales pro tractatibus missis. Unum exemplar imperfectum tradet dn. Klugius, studiosus theologiae, complendum. Nam ex eo

¹⁾ Christian Weber, Sohn des Ananias Weber, hatte schon 1673 seine Entlassung als Hofprediger in Ols erhalten. Ehrhardt I, S. 384.

²⁾ Über Johann Herden vergl. Ehrhardt I, S. 263.

³⁾ Herdens Gattin Dorothea, geb. Silex, war eine Wittenbergerin.

reliqua exemploria, quae subinde hinc inde defectum patiebantur, completa.

Nostri adversarii magis magisque animos sumunt. Nudius tertius coram regio iudicio mihi standum fuit. Causa haec est. Jam annus labitur, ex quo ecclesia Dobrensis¹⁾ in Hungaria, quae dominum habet illustrem comitem Franciscum Bat . . ., ad me literas dedit petens, ut dn. Johannes Scalicky solenni ordinationis ritu apud nos inauguretur, futurus ipsorum pastor. Plebecula illa ex meris constat rusticis rem pecuariam maxime tractantibus, cuius nomine ad me scripserunt quattuor exules indultu caesareo in pago illo commorantes. Non potui gratificari ipsorum petitioni magistratu nostro prohibente. Commendavi tamen causam dn. M. Hentschelio,²⁾ seniori Lesnensi in Polonia, successu felici. Rediit ad nos Lesna cum ordinationis testimonio Skalicky.³⁾ Abeuntem iterum in patriam comitatus sum hominem literis responsoriis magna cautione. Subverebar enim periculum scriptis. Quid factum? Captus est in via trepidantissimus Skalicky. Timor nimius in suspicionem hominem dedit rebellionis. Interceptae etiam sunt una literae, quas tamen non ipse Skalicky, sed aliquis mercatorum in Hungariam perferre debebat. Earum literarum hactenus nescio quo missitatarum causa in iudicium post duplex caesareum mandatum veni. Non erat in illis, quod culpae auderent, nisi quod theologos illos in titulo epistolii vocavi viros exules de ecclesia dei agendo et patiando bene meritos, fratres in Christo coniunctissimos. Huius elogii nomine autoritate caesarea

¹⁾ Dobra liegt unfern Gperies.

²⁾ Samuel Hentschel, geb. am 31. Januar 1635 in Bissa, 1649 Student in Frankfurt, 1650 in Wittenberg, 1662 Rektor in Gperies, 1664 Rektor in Bissa, 1665 Prediger daselbst, 1675 Senior der großpolnischen lutherischen Kirche, gestorben am 5. Februar 1690. Er war ein Schüler Kalows. Am 10. November 1659 hat er unter seinem Vorſiße eine Disputation gehalten. Vergl. Calov, Annotata Antigrotiana ad pentateuchum et libros historicos veteris testamenti.

³⁾ Vergl. Smend, Die Ordinationen in der lutherischen Kirche Großpolens. Jahrbuch für die Kirchengeschichte Posen 1914 S. 93.

rebellionis nota mihi innocentissimo impacta et monitus sum, ut de cetero, quae fidelem s. caes. maiestatis subditum decent, agam. Respondi me rebellionis hactenus reum nunquam factum neque titulum hunc rebellionem, sed confessionem fidei meae spirare. De cetero autem talem futurum, qualis hactenus fui, hoc est subditus s. caes. maiestatis devotissimus. Quid haec praeambula sit secuturum, facile est colligere. Deus nostri misereatur et in veritate atque pace nos conservet. Nunc plura adicere non possum. Lectissimam dn. coniugem et dn. Abrahamum, filium magnae spei, salutant mecum et cum uxore mea liberi mei. Vale, episcopo ecclesiae sanctissimae. Dab Vratislaviae a 1678 d. 21. Februarii."

15. *Johann Afoluth an Ralow.*

Aestimativissimas V. M. a vili manu accepi, hominis olim iudaei, utinam nunc ex animo christiani. Honor habitus est systaticis, non personae offerenti, quae nec in libris iudaicis, nempe domesticis, nec christianis versata. Sed tales quoque plerique omnes sunt, qui ex iudaeis Christo nomen dederunt. Priorem vitam egerunt in blasphemis et dolis, posteriorem in otio veluti pecora transigere cupiunt. Egregii fratres monachorum ex papatu elapsorum. Ne tamen utraque pars causetur se desertam necessum habuisse redire ad vomitum, omnibus benefacimus. Quod et huic homini factum. Caeterum quod vinum Tokajense attinet, id apud nos, quantum inquisitione facta rescire licuit, nullibi prostat. Quod tamen ante aliquot annos venum expositum esse bene memini. Aliquis tamen mercatorum nostrorum, Christophori Jacobi nomen habet, dolium parvum domesticis usibus inserviens possidet, quod gustavi, sed asseverare nequeo generosum hoc vinum appellari posse, et quod florente vinea et instante vindemia fieri solet, iam plane turbatum. Hic eius quidem mihi faceret copiam, sed propter causas allegatas de pretio non sum sciscitatus, id tamen de cetero facturum, si M. V. iusserit. Rixae M. V. motae me et confratres meos male

habent.¹⁾ Si N. duerniones illos tres vel quatuor aeternis tenebris mancipasset, valde famae suae consulisset. Quis credat in tantam ἀρρωσίαν τῆς διανοίας an detestandam malitiam? tantum virum delapsum. Deus, cuius causam agit V. M., cor ipsius patientia roboret, quae insultus istos felicissime (nobis etiam ἀγωνιζομένοις ὑπὲρ ὑμῶν ἐν ταῖς προσευχαῖς) superatura est. Vale, vir summe venerande.
Dab. Vratislaviae 1678

16 Johann Afoluth an Kalow.

Quod nihil literarum ad M. V. hactenus dedi, nulla alia causa est praeter insignes easque multiplices curas cum ecclesiasticas tum oeconomicas, quae me exercuerunt. Quarum non ultima est, quod uxor mea, cum qua per quadrantem saeculi et quod superest, pacate et non absque divina benedictione vixi, fere per semestre decumbit et per atrophiae in dies crescentes gradus paulatim morti appropinquat. In quantas aerumnas mors ipsius me miserum et multipliciter alioqui afflictum sit praecipitatura, vel ex ipsa experientia eaque non una V. M. didicit Quid faciam? Commendo domino vias meas, ipse faciet. Haec non alle-

¹⁾ Der Streit mit dem Wittenberger Professor Johann Meisner. Dresden, den 2. Juli 1678 schreibt Hofprediger Green aus Dresden an Kalow: „Quae certamina theologica spectant, angunt pariter nostros patres vertentes in omnes partes consilia, ut tempestatem eam discutiant. Et quia domi non moeniunt, foris petere consilia et aliorum non suspecta iudicia adhibere decretum est. Jacta est alea, ut tandem eluctari possit veritas, ex animo deum rogo. Rev Geierus V. R. M. vicissim plurimum per me salutem multisque profitetur verbis, se V. R. M. summo semper loco habuisse et habiturum nec non zelum divinum magnopere semper aestimasse et iam dum aestimare, hoc saltem rogatam cupit, ut fratris errantis et manus submittentis misereri velit. Ipse vero Geierus in ea persistit sententia, quicquid erronei non satis explicatum in declaratione fuerit, generali formula sub finem addita oboleri. Non legi Meisneri declarationem, cupio vero vehementer eius copiam habere, si, sanctissime patrone, eius copiam mihi faceres, beneficium interpretarer maximum pensaturus amanuensi, in cuius aere adhuc sum, operam, ne ignarus earum rerum sim, si mentio inciderit, cum nihil in hac causa conferre valeam ad commune salutem, quam ut instruam ignaros ac temere sententiam ferentes“.

garem, nisi vel ea de causa diuturni silentii veniam considerem me impetraturum. Jam M. V. commendo humiliter plur. rev. dn. Johannis Herdenii, collegae mei, senioris atque archidiaconi in templo Elisabethano, filium¹⁾ natu maximum, qui Thorunio domum redux factus iam ad Athenas vestras properat, optimi patris non malus filius. Spero hominem expectationi paternae responsurum. Adiungo ipsi alium civis, nostratis filium, Hoppii nomen habet, iuvenem cum de ingenio tum de industria, pietate, et modestia commendandum. Si quid utrique horum beneficii fuerit exhibitum, id mecum parentes grata celebrabunt laude ad redhostimentum quodque parati. Vale, sancte ac vererande pater, atque διὰ δόξης καὶ ἀριτίας, διὰ δυσφημίας καὶ εὐφημίας ὡς πλάνος καὶ ἀληθής cursum tuum feliciter et sero absolve. Salutem plurimam splendidissimae domui et magnificis dominis collegis. Dab. Vratislaviae a. 1679 a. 29. Sept.

17. Johann Aloluth an Ralow.

Literas per aurigam vestratem missas cum quibusdam opusculis additis, pro quibus gratias ago, accepi nec non epistolam Calixtinam concilium aliquid universale habendum spectantem. Ad quas pauca hisce repono. Non subit dubitatio, traditam esse M. V. epistolam meam ante 7 circiter hebdomadas scriptam, qua significabam exemplaria biblica apud me ex maiore parte adhuc haerere. Unum enim meae, alterum exemplar autem Bartschianae bibliothecae consecratum, reliqua vero tria eaque manca adhuc apud me haerent, de quibus disponat M. V. pro libitu. Proximae literae M. V. nominaverunt aliquos, quibus offerenda essent reliqua, sed illi —. Pro duobus igitur exemplaribus mitto 26 imperiales. Si forte emtores ad residua tria reperero, mox curabo, ut pecunia mittatur, quamquam eiusmodi negotia mihi invidiam apud biblio-

¹⁾ Benjamin Herden. Ich habe seinen Namen in dem Verzeichniß der Thorner Schüler nicht gefunden. Sein jüngerer Bruder Johann besuchte das Thorner Gymnasium seit dem 31. Januar 1678.

polas creant. Quod concilium illud spectat,¹⁾ optandum quidem erat, ut liberum aliquod concilium tam diu expetitur aliquando celebretur. Sed voto hic magis, quam rei locus erit. Non concedet papa Romanus concilium quod sit supra fictam Petri, sedem, et nullum generale concilium patietur se pedibus pontificis Romani calcari. Proinde existimo fraudulentem hic a papanis impositum iri credulis, syncretistis praeprimis, quorum mentes pax nescio quae fascinavit. Nec habent iam papani viros eruditos, qui manus conserrere cum nostris possint, ne in quatuor regnis quidem vel unicus est solide eruditus vir raris apocalypticis omnes angulos implentibus. Si tamen saeculum nostrum tam felix foret, ut concilio generali daretur locus, bone deus, quam exoptatus esset rerum nostrarum status, quanta ex orbe christiano tollerentur mala. Sed haec spes apud omnes cordatos decolat. Interim conscientiae et muneri satisfaciendum est, fremat licet orbis et orcus. Haec liberius nonnihil scripsi, dum scio me coram patre loqui, cuius γνήσιος filius ad mortem usque audire gestio. Vale, vir summe reverende, et calca porro τοὺς ἐξ ἐναντίας omnes animosissime, leones etiam et aspides, imo basiliscos, ut coronam immarcescibilem et pretiosiore prae aliis multis, multis, victor reportes. Dabam Vratislaviae a. 1683 d. 26. Novembris.

¹⁾ Dresden, den 21. Dezember 1683 ließ der Kurfürst Johann Georg III. der Wittenberger Fakultät schreiben: „Wir lassen euch unverborgten sein, welcher Gestalt der Bischof von China bei unterschiedlichen evangelischen Höfen gewisse Vorschläge wegen Reunion der evangelischen mit der päpstlichen Kirche vorstellen und sich bemühen sollte, ein und andern Beifall und Erklärung sonderlich von den Theologen privatim deshalb zu erhalten. Wenn uns denn ein solcher modus, pacem ecclesiasticam zu stiften und die controversias in religione abzutun, fremd und ungewöhnlich vorkommt, als der zu anders nichts als zu höchst schädlicher Distraction unter den Evangelischen und deren Theologen selbst oder doch zur Einführung des ohne dem mehr als zuviel überhand genommenen ungeligen syncretismi und atheismi gereichen kann, . . . als ist an euch unser gnädiges Begehren, ihr wollet, dafern bei eurem collegio . . . sich jemand mit dergleichen Proposition anmelden würde, euch dieses negotii halben mit demselben privatim nicht einlassen“.

18. **Johann Afoluth an Kalow.**

Liferas M. V. per dn. Schwertnerum¹⁾ meum accepi. Laetor de commoda satis valetudine M. V. in tanto senio, sed compatio ex animo afflictionibus, quae M. V. cumulate onerant. Fidelissimam conthoralem decumbere antea intellexeram, sed de eius inchoata restitutione etiam quaedam narrabantur, iam contrarium lego ex intimo animi affectu precatus, ut aegram, quam perhumaniter saluto cum meis, archiater summus erigat aut M. V. cor alioquin satis maestum abundantissima consolatione perfundat. Miratus hactenus valde sum, locum d. Meisneri²⁾ tanto temporis intervallo vacare, prohibeat deus, ne syncretistae alicui servetur. De scriptis antisyncretisticis seu historica syncretismi relatione carceri inclusa³⁾ nihil inaudiui, sed doleo laboris istius vices, sic nihil est fecisse benignum. Nimis dulce pacis nomen. Sed quid tali subsit veneni,

¹⁾ David Gottfried Schwerdtner, gestorben 1735 als Pfarrer in Jauer, war Afoluths Schüler in Breslau gewesen und besuchte seit 1683 die Wittenberger Universität.

²⁾ Johann Meisner (1615–1681), Professor der Theologie in Wittenberg. Am 9. Januar 1683 schreibt Hofprediger Green aus Leipzig an Kalow: „Successor b. Meisneri nondum certus est. Mecum hac in re nihil serio actum est, vel quod adhuc in consiliis sit exterum in eam provinciam accersere, vel quod alia in recessu lateant, quae me plane fugiunt“. Am folgenden 13. Februar berichtet Green „Spes, quam ante duas hebdomades significabam potiundi D. Kortholti, ut D. Meisnero sufficeretur, iam discessit, siquidem a principe Holsatiae impetrari non potuit, ut missum faceret. Quo nunc optimates animum ac consilia vertent, cum ignarissimis scio, qui non ex ipsis dominis optimatibus, sed ex fide dignis literis spem eam frustra esse compertum habeo“.

³⁾ Über die Konfiskation der historia syncretistica vergl. Tholuck, Der Geist der lutherischen Theologen Wittenbergs S. 202. Green schreibt den 30. Januar 1683 aus Dresden an Kalow: „Dicitur, quod in aurem mihi ingestum est, exemplaria historiae syncretisticae iam in via esse, ut doliis inserta Lipsiam deferantur, ad perpetuos carceres damnanda. Quamobrem omnis spes potiundi exemplari periiit. Nisi deus ex machina, quod dicitur, veniat, res huius historiae conclamata est. Ast non est, sanctissime vir, ut eam ob causam adeo excrucieris animo aut moerore temetipsum conficias. Commenda, uti soles, deo, cuius ipsius negotium est cuiusque res agitur.“

multi vel non intelligunt vel intelligere nolunt. Deo committenda sunt omnia, curis nostris parum efficiemus, nisi quod nos nequicquam maceramus. Interdum repetendum est illud b. Lutheri: Vadat sicut vadit, quia non vult aliter vadere.¹⁾ Haec autem est dei gratia, quod M. V. etiam in hoc senio fructus quosdam literarios ecclesiae bono proferre concedit et systematis extensionem et mendacii papistici de electoribus Johanne et Johanne Friederico. Posterius hoc scriptum credo oppositum Confessioni Augustanae et Anti — Augustanae Collorutschii episcopi Neostadiensis, in qua part. 2 p. 129 mendacium illud legitur, sed hanc refutationem nondum vidi curaturus, ut quam primum nanciscar. Perlegi librum istum episcopi et nihil nisi ignorantiam cum malitia coniunctam reperi. Apponit cramben sescenties recoctam sub specie magnae orthodoxiae. Provocat ad respondendum academias. Ad caelum evehit meditatam concordiam Marsenii. E re profecto esset, si utrique operi os obtureretur, de quo quid sit sperandum, edoceri peto. Lipsiensis academia orbata est suo d. Scherzero,²⁾ cui faciat succedere parem aut non multum disparem dominus messis. Nostrae ecclesiae mediocri pace

¹⁾ Gerh. Heinrich Hopmann, Pastor an der Ägidienkirche in Lübeck, schreibt unter dem 15. März 1683 an Salow: „Faxit deus, ut scriptum vestrum innocenter oppressum in syncretistarum plenariam ruinam luci publicae exponatur cum apodixi articulorum fidei desiderato modo, expositum variis in locis diurna nocturnaque manu evolvatur.“

²⁾ Leipzig, den 20. Dezember 1683 berichtet D. Georg Lehmann Salow: „Scherzerus noster, qui ferme sine omni spe aegrotat, R. Mag. V. salute plurima imperlit. Invisi eum ante decendum, „ex quo tempore ob catarrhum me in lecto continere coactus sum eluctaturus, si deus voluerit, propediem. Σφακελος, qui ipsius pedes hactenus infestat, altius ad superiores partes ascendere videtur, unde vereor, ut vix unum vel alterum diem vitam producat suam.“ Schon am 7. Juni hatte Georg Möbius aus Leipzig geschrieben: „Collega noster dn. D. Scherzerus adhuc aegrotans decumbit et quidem undecim integras septimanas. Dextrum ipsius latus, cui semper propter acutos dolores iucumbere cogitur, ob continuam hanc pressuram hinc inde in cute iam vulnera accepit et caro ipsius in dextro quoque latere tabescit. In hortum suum, qui extra civitatem situs est, ex consilio medicorum delatus est, sed mitigationes doloris vel nullas vel paucas ibi sentit.“

fruuntur, sed hic quoque syncretismi vestigia alicubi offendere est, quae tamen prodire in publicum non prorsus audent. Sed quid porro sit futurum, docebit dies, quamquam non est, quod boni multum speremus. . . a. 1684 d. 12. Februarii.

Exemplar bibliorum glossatorum iterum vendidi, pecunia dn. Buhlio promovenda commissa est. Jam duo adhuc exemplaria penes me sunt, sed manca. Defectum iam quaerere non vacat, quis sit, Proxime autem id fiat.

19. Johann Christian Herzog an Kalow.

Wie Eurer Magnificenz und Hochwürden ich allen zu Seel und Leib höchstgedeihlichen Wohlstand, auch zu dero jüngsthin abermal vollzogenen Vermählung Segen, Glück, Gesundheit vitamque Nestoream treugehorsamst anwünsche, also habe ich hierbei gegenwärtigen studiosum theologiae, der der Geburt nach ein Schlesier und einen sehr gelehrten und beliebten Geistlichen zu seinem Vater hat, an E. W. bestens recommendieren und bitten wollen, weil er eine Zeit lang zu Wittenberg zu subsistieren in willens ist, ihm dero hohen patrocinii hochgeneigt genießen zu lassen. Seine studia hat er in dem Breslauischen gymnasio Elisabethano wohl absolviert, auch allbreit solche specimina blicken lassen, die ihm hie in patria bei hochgelehrten Leuten, wie auch in Thorn, da er im Polnischen sich excoliert, sehr beliebt gemacht. Herr Pfeifer und ich sind mit seinem Vater bis dato Herzensfreunde, daher ich auch um dessentwegen von E. W. alle geneigte Wohlwollenheit verhoffe. Ich sichere, daß recommendatus nicht allein vor E. Hochw. und dero allerhuldbreichste Caiam zu Gott andächtig beten, sondern auch E. W. mit aller ersinnlichen Observanz aufzuwarten wissen wird. Gegeben auf dem fürstl. Olsnischen Kammergut Ellgut in Schlesien den 20. Sept. 1684. M. Johann Christian Herzog, p. t. der beiden Kirchen und fürstl. Olsnischen Kammergüter Ellgut und Rade Pastor.

Bitte Herrn Quenstädt, meinen hochgeschätzten Herrn Patron und vormaligen wohlaffectionierten hospitem, ganz freundlich von mir zu grüßen.

Bratau bei Wittenberg. Lic. Dr. Theodor Wotschke.